

De Angelica salutatione.**XXI.**

sa est aqueductus siue dispensatrix celestis gratie. quod notatur cū dicitur. gratia plena. Nam ipsa est fons effluens omnium gratiarum. Et ipsa comparatur collo. Quia sicut christus est caput. et nos membra. sic ipsa est collum. quia per ipsam gratia in nos infunditur. **Bernardus.** Totius boni plenitudinem posuit deus in mariam. ut quidquid habes gratie ab ipsa redundare scias. **Nec mirum** quod ipsa habuit fontem omnium gratiarum in se. et illa fuit maior gratia quam recipere potuit. **Non enim** posset maior gratia intelligi nisi quod ipsa esset mater dei. Qualiter autem gratiosa sit omnibus hoc patet in hoc. quia ipsa est gratiosa et iuuat nos in vita. in morte et post mortem. **In vita** si sumus iusti gratiam nobis augmentando. **Vnde dicitur** mater gratie. **Si peccatores.** veniam impetrando. **Vnde dicitur** mater misericordie. **In morte** a demonibus defendendo. **Vnde canitur** de ea. **Tu nos** ab hoste protege. **Et post mortem** animas in celum deducendo. **Vnde canitur** de ea. **Et in hora** mortis suscipe. **Quartum** quod ipsa est thalamus regis glorie. Quia scilicet nouem mensibus in eius utero habitauit. **Quod notatur** cum dicitur. **Dominus tecum** **Ecclastici xxvi.** **Qui creauit me** requieuit in tabernaculo meo. **Fuit enim** secum deus pater qui fecit eam potentem. **Deus filius** qui fecit eam valde sapientem. ut cognoscat defectus nostros. **Deus spiritus sanctus** qui fecit eam valde clementem. **Ergo** confidere debemus in eam. quia ipsa est potens. et cū hoc cognoscit defectus nostros. **Et est** misericors quia libenter vult nos iuuare. **Et quando** dicis hanc clausulam. **dominus tecum.** tunc perere debemus. **O piissima** mediatrix dominus sit pro te mecum. qui longe est a peccatoribus. **¶ Quintum** quod ipsa est dignissima omnium creaturarum. quare merito deuote saluanda. **Quod notatur** cum dicitur. **benedicta tu in mulieribus.** **Vbi dicit** **Nicolaus de liera.** **De omnibus** mulieribus id est mulieres benedicentur in te sicut pater in filio. **Sed nicolaus Gorra** super lucam dicit super predicta verba. **Sunt** aliquae mulieres benedictae. quia virgines. sed non fecunde. aliquae quia fecunde. sed non virgines. **Sed** haec simul virgo fuit et fecunda. **Ideo** super omnes mulieres benedicta. **Item** beata maria est benedicta super omnes virgines viduas et coniugatas. **Primo** super omnes virgines. **et hoc** primo in prioritate. quia prior virginitatem vouit et seruauit. **Secundo** in puritate. quia post deum maiorem habuit inter omnes homines. **Quia** castitatem transfudit in alios homines eam intuentes. **Tercio** in fecunditate. quia virgo et mater extitit. **Que** nec similem habere visa est nec habere sequentem. **Ergo** canitur de ea in hymno. **virgo singularis.** **Item** super viduas. **Primo** quia fuit in orationibus et in deuotione seruentissima. **Secundo** in operibus pietatis quod ad filium magis assidua. **Tercio** in castitate magis pura. **Item** super coniugatas. quia in ea fuit proles dignior. immo ipsa est super angelos omnes et sanctos. **Vnde** canitur de ea. **Exaltata** es sancta dei genitrix super omnes choros

Maria puz iggah bunt